Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

vero ejus sancta, prius de Samaria Hierosolymam
translata, et inde Alexandriam transmissa, ubinam
in ecclesia, qua in ipsius nomine est constructa, con-
dita habentur. Quod divina providentia ajebant
esse factum: ut scilicet per plura loca deportatis san-
ti Martyris Reliquiis, plura virtutis signa per ejus
decollationem, Christo largiente, cui testimonium per-
hibuit, cujusque praeco vel praecursor extitit, per eas
fierent manifesta. Instructa talibus Dei famula
a praefatis viris, abeuntibus illis, cepit iter suum
cum Dei auxilio praeparare; unius tantum famula
comitatu contenta. Quae postquam Romam pervenit
ad limina B. Petri Apostoli per dies aliquot morata
ibidem, Deo dizponente, invenit socios itineris, mare
transire cupientes. His igitur juncta, navigio per-
venit ad locum, ubi ecclesia erat consecrata in ho-
nore S. Joannis Baptistae, in qua pollex et pars di-
gitorum manus dextera, et quadam alia praefati
Baptistae Reliquia recondita fuerant. Tunc
S. Tygris, fide plena, vinculo se juramenti constrin-
xit, quod non prius ab ipso loco discederet, quam
permittente unigenito Filio Dei, ex membris B. Joan-
nis Baptistae aliquam particulam meteretur accipere.
--- (Sequitur amplificatio biennis illius instantis-
simae petitionis) ~~Dei enim motu~~ Sed misericors
Dominus, videns ejus constantiam, fidem inviolabi-
lem, et invictam perseverantiam, misericordia motus,
concessit ei donum quaesitum, et omnibus seculis ad-
mirandum. Dei enim motu apparuit hora Sepulcrum
S. Joannis Baptistae, pollex ipsius, et par digitorum,
qui meruerunt Domini verbum tangere in Jordanis
flumine, quando ipse Redemptor sub eo dignatus est
baptizari. Cognovit autem sancta Dei famula
se esse exauditam; et sumens illud sanctum Dei
donum resumto spiritu, qui pene in ea defecerat, et
receptis viribus, lata surrexit. Reconditoque eo in
capsula, quam dudum paraverat, cum caeteris minu-
tiis Reliquiarum, gaudens cepit ad propria remeare.
Impletum est in illa, quod in Evangelio scriptum in-
venimus: Omnis, qui petit, accipit; et qui quaerit, in-
venit; et pulsanti aperietur. --- (Tum ab insequen-
tibus Alexandrinis, et Reliquias repetentibus Tygri